

rogamus usque ad *Per eundem Christum* etc., verba *sanctificas, vivificas* etc. usque ad *omnis honor et gloria, da propitius pacem dum* se Patena signat, et *Per eundem Dominum* etc. dum Hostiam frangit, et *Haec commixtio et consecratio etc.* dum particulam Hostiae in Calicem dimittit.

504. A Communione usque ad finem Missae memoriter scire et recitare debet Sacerdos: *Panem coelestem accipiam, Domine, non sum dignus, Corpus Domini nostri Iesu Christi etc., Quid retribuam Domino, Calicem salutaris accipiam* etc., *Sanguis Domini nostri Iesu Christi* etc., *Quod ore sumpsimus* etc., *Corpus tuum Domine* etc., *Placeat tibi sancta Trinitas*, etc., *Benedicat vos omnipotens Deus* etc., ac denique Canticum *Benedicite* cum *Antiphona Trium puerorum* etc.

CAPUT III.

DE PARTIBUS MISSAE VARIABILIBUS.

505. Quoad partes, quae in Missae Sacrificio variantur, sequentia notantur:

Gloria dicitur in omni Missa convenienti Officio, in quo Hymnus *Te Deum* fuit recitatus. Insuper in Missis Feriae V in Coena Domini et Sabbati sancti: item in Missa votiva B. M. V. in Sabbato (tantum), in Missa votiva Angelorum, in Missa votiva alicuius Sancti, cum de eo celebratur festivitas; in Missa Octavae, quae celebratur infra Octavam, sed more votivae, i. e. extra ordinem Officii, et in Missa votiva solemnī pro re gravi vel pro

publica Ecclesiae causa, nisi celebretur in colore violaceo.

506. Orationes seu Collectae in Missa dici debent iuxta regulas liturgicas, prout in Calendario indicantur, nec unquam licitum est Celebranti ex propria aut Fidelium devotione aliquam Orationem addere aut mutare, nisi in casibus a Rubricis permissis.

507. Hoc idem valet de Orationibus Secretis ac Postcommunionibus, quae semper, sive quoad numerum, sive quoad ordinem, Orationibus ante Epistolam correspondere debent.

508. Orationes Missae variantur quoad numerum, iuxta ipsummet numerum Commemorationum ratione Officii occurrentium: secundo iuxta ritum Officii diei, ac demum, si sint aut non sint Orationes imperatae.

509. Ordo Orationum est sequens: primo loco dicuntur Orationes festi seu diei, deinde aliae speciales, quae semper Commemorationibus Laudum correspondent et in omni Calendario seu Ordine divini Officii indicantur; secundo loco Orationes communes a Rubricis praescriptae, uti sunt Orationes in festis semiduplicibus *Ecclesiae*, pro Papa, *A cunctis*, etc.; ac demum Orationes votivae¹.

510. Orationes communes in festis duplicibus et in Dominicis infra Octavas non dicuntur: in aliis vero Dominicis, Feriis et festis semiduplicibus, variantur pro varietate temporum et festorum, quod semper indicatur in Calendario.

¹ Vide Rubric. general. Missalis, t. IX: De Orationibus.

511. In festis semiduplicibus et simplicibus, in Feriis et Vigiliis non specialiter exceptis, dicuntur tres Orationes: possunt tamen dici quinque aut septem ad libitum Celebrantis.

512. In Missis votivis privatis dicuntur tres Orationes: prima est Oratio de Missa votiva, secunda de festo seu Officio, et tertia quae in hac Missa fuisset secunda. Excipitur Missa de B. M. V., in qua tertia Oratio, nisi alia adhuc dicenda sit, semper est de Spiritu sancto.

513. Si in Missa diei plures sunt Commemorationes speciales, hae omnes eodem ordine dicendae sunt in Missa votiva.

514. In festis semiduplicibus, Feriis et Vigiliis, et in Missis votivis privatis, in quibus Orationes votivas addere licet, Celebrans potest, sed non tenetur, Orationibus, si pares sunt, aliam superaddere¹, ut numerus impar fiat; si autem Orationibus praescriptis Orationes addit, semper curare debet, ut impares sint, i. e. ut sint tres aut quinque aut septem.

515. Orationem ad libitum indicatam in Calendario Celebrans dicere debet, quia est de praecepto; potest tamen ad libitum eligere Orationem quamcumque ex Missalis Orationibus. Non potest tamen pro illa substituere Orationem imperatam, quia etiam haec est de praecepto², aut Orationem dicere in honorem alicuius Sancti, qui in aliis dictis Orationibus iam erat nominatus: ex. gr. non potest dicere Orationem in honorem B. M. V., S. Ioseph, SS. Apostolorum Petri et Pauli, etc., si prius dixerit Orationem *A cunctis*.

¹ S. Rit. C. 2 Dec. 1684.

² S. Rit. C. 17 Aug. 1709.

516. In Oratione *A cunctis* ad litteram *N.* exprimendum est nomen S. Titularis Ecclesiae, vel Oratorii publici, in quo actu celebratur, nisi ille Sanctus iam nominatus fuerit in praecedentibus Orationibus¹. Si Ecclesia non habet aliquem Sanctum Titularem, sed alicui Mysterio ut SS. Trinitati, Redemptioni, Cruci, etc. dedicata est, aut si celebratur in Oratorio publico, quod non habet specialem Patronum: nominandus est Patronus civitatis vel loci², si consuetudo adsit faciendi eius Commemorationem in Officio, et deficiente Patrono civitatis, Patronus Dioecesis³. Nomen Fundatoris Ordinis substitui potest, dummodo Patronus Ecclesiae non omittatur⁴.

517. In nominandis Sanctis in hac Oratione servandus est ordo liturgicus, i. e. SS. Angelorum, e. g. S. Michaelis, si est Titularis, S. Ioannis Baptistae, S. Ioseph, SS. Apostolorum, etc.; si vero Ecclesia non est dedicata alicui Angelorum aut S. Ioanni Baptistae, nomen S. Ioseph immediate sequitur semper nomen Mariae⁵.

518. Eadem Oratio nunquam bis dicitur, v. g. si Oratio pro Papa sit imperata et Missale praescribat in Missa Orationem *Ecclesiae* aut pro Papa, dicitur primo illa *Ecclesiae* ac dein illa pro Papa ut imperata.

519. Oratio vel Orationes imperatae illae dicuntur, quae vel a Papa vel ab Episcopo, praeter generales Rubricae praescriptiones, ex speciali causa, aut pro particulari indigentia praescribuntur.

¹ S. Rit. C. 12 Nov. 1831, ad 31.

² S. Rit. C. 12 Sept. 1840: et 16 Aprilis 1853.

³ S. Rit. C. 12 Novemb. 1831: et 12 Sept. 1840.

⁴ S. Rit. C. 17 Iunii 1843.

⁵ S. Rit. C. 22 Apr. 1871.

520. Superiores Regulares maiores suis subditis aliquam Orationem specialem pro re gravi praescribere possunt, servatis tamen Rubricis et non sine licentia Episcopi ¹.

521. Papa pro tota Ecclesia, Episcopus vero pro toto Clero Dioecesis, etiam Regulari exempto, aliquas Orationes speciales praescribere potest, quae non cessant, priusquam Papa vel Episcopus id iusserint ².

522. Oratio imperata non dicitur in festis I. classis, nisi imperata sit pro re gravi, pro determinata die vel determinata Missa, et tunc sub unica conclusione cum Oratione diei. Postea dicuntur Commemorationes v. g. Dominicae, Octavae privilegiatae etc. sub propria conclusione. In festis II. classis aut alterius ritus, haec specialiter determinata Oratio semper dicitur sub propria conclusione, aut unita cum Commemorationibus, si quae sint ³.

523. Orationes non pro determinato die etc., sed pro indefinito tempore imperatae, non dicuntur in festis I. classis; omnino autem excluduntur in Dominica Palmarum, in Vigiliis Nativitatis et Pentecostes, Feria V in Coena Domini et Sabbato sancto, quibus diebus nunquam locum habet secunda Oratio, et in Missis solemnibus votivis.

524. Eaedem Orationes in festis II. classis dici possunt, vel non, in Missis privatis: non autem in Missis cantatis et in Missa conventuali licet tantum lecta ⁴.

¹ S. Rit. C. 27 Martii 1779.

² S. Rit. C. 17 Aug. 1709: 3 April. 1821.

³ S. Rit. C. 7 Septemb. 1816: 16 April 1853: et 3 Iulii 1869.

⁴ S. Rit. C. 23 Maii 1835.

525. Oratio imperata semper est ultima inter Orationes a Rubricis praescriptas; quod si plures ex Orationibus communibus praescribantur, inter eas servetur ordo seu numerus in Missali praescriptus, v. g. non potest anteponi numerus 12 numero 7, etc.

526. Oratio de SS. Sacramento dicenda est post omnes Orationes a Rubricis praescriptas, etiam post illam ad libitum, sed ante Orationes imperatas.

527. Dicitur semper etiam in festis I. classis, in Missa cantata et in conventuali, in Altari ubi expositum est (etiam in Pyxide) SS. Sacramentum, et in Missa cantata ad faciendam expositionem ¹.

528. In Missis cantatis ad aliud Altare, durante expositione ², dici aut omitti potest ad arbitrium Celebrantis; exceptis festis I. et II. classis, in quibus in Missis cantatis omittitur, et Dominica Palmarum, ac Vigiliis Nativitatis et Pentecostes. In Missis privatis fieri poterit Commemoratio SS. Sacramenti, quando eius expositio fiat ex publica causa, sive Missae celebrentur ad Altare expositionis, sive ad alia; in duplicibus vero I. et II. classis omittitur ³.

529. Si sit facienda aliqua Commemoratio, aut dicenda Oratio imperata, Oratio de SS. Sacramento semper adiungitur ante Orationes imperatas. In Missa solemnibus et conventuali in festis I. et II. classis, Dominica Palmarum, Vigiliis Nativitatis et Pentecostes, et in votivis solemnibus, dicitur sub unica clausula cum

¹ S. Rit. C. 3 Martii 1761.

² S. Rit. C. 7 Maii 1746.

³ S. Rit. C. 2 Decemb. 1684, in una Ord. Regular. Lateranen. Cardellini instruct. Clem. § 17, n. 21, 24 et 33.

Oratione Missae, et si facienda sit alia Commemoratio, fiat sub alia conclusione.

530. In festis de SS^mo Corde Iesu et de pretiosissimo Sanguine, omittitur Oratio de SS. Sacramento.

531. Haec omnia valent et quoad Orationem pro Papa, in anniversario creationis et coronationis Summi Pontificis: item et in electione et consecratione Episcopi dioecesani, sed in festis I. classis omittitur.

532. Dicitur haec Oratio post Orationes de praeccepto, sed ante votivas ¹.

533. Variant conclusiones Orationum, prout ad unam alteramve SS. Trinitatis Personam diriguntur. Si ad Patrem, et in illis non fit mentio Filii, dicitur: *Per Dominum nostrum I. C.... per omnia saecula saeculorum*. Si ad Patrem, et in medio Orationis fit mentio Filii, conclusio erit: *Per eundem* etc.; si vero circa finem, concluditur: *Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus s. Deus, per omnia saecula saeculorum*.

534. Si Oratio dirigitur ad Filium, conclusio erit: *Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus s. Deus, per omnia saecula* etc.

535. Si in Oratione fit mentio Spiritus sancti, dicitur in conclusione: *in unitate eiusdem Spiritus sancti* etc. ².

536. Si plures Orationes in Sacrificio Missae sub una conclusione sumuntur, attendendum est solummodo ad ultimam Orationem, non autem ad praecedentes ³.

537. In Missae Sacrificio (quod valet etiam de Officio divino), conclusio semper, i. e. in omnibus Orationibus,

¹ S. Rit. C. 14 Aug. 1858.

² Rubr. gener. Missal., t. IX, n. 17.

³ S. Rit. C. 23 Maii 1835.

Secretis et Postcommunionibus, est longior; brevis est extra Missam et Officium, nisi aliter notetur proprio loco.

538. Conclusio brevis, si Oratio dirigatur ad Patrem, erit: *Per Christum Dominum nostrum*; si in corpore Orationis fiat mentio Filii, dicatur: *Per eundem Christum* etc.; si circa finem: *Qui tecum vivit et regnat per omnia* etc. Si ad Filium dirigatur, erit: *Qui vivis et regnas per omnia* etc. vel *Qui vivis et regnas in saecula saeculorum*. Tamen Oratio SS. Sacramenti ante benedictionem concluditur: *Qui vivis et regnas in saecula saeculorum* ¹.

539. *Credo* dicitur in omnibus Dominicis anni, sine ulla exceptione et sine ullo respectu festi vel ritus.

540. Dicitur praeterea in omnibus festis Domini ac B. M. V., Angelorum, Apostolorum, Evangelistarum ac Ecclesiae Doctorum, in festo Omnium Sanctorum, in festis S. Ioseph Sponsi B. V. M., Patroni Ecclesiae principalis ac S. Mariae Magdalenae.

541. Dicitur *Credo* in die Dedicationis Ecclesiae vel Altaris, in anniversario Dedicationis Ecclesiae infra annum occurrentis, eiusque Octavae; si aliquod festum ex se habeat *Credo*, et de ipso fiat Octava, dicitur etiam per totam Octavam, nisi dicatur aliqua Missa votiva, et quando transferatur aliquod festum in diem octavam, non vero infra, quia tunc Octavam non habet.

542. *Credo* etiam dicitur in festo principali Patroni primarii, non vero secundarii ditionis, civitatis, pagi et Dioecesis; et per totam eius Octavam, si Octavam

¹ S. Rit. C. 29 Martii 1851.

habeat, sed solummodo intra limites ditionis, parochiae vel Dicecesis, nisi ex se habeat *Credo*.

543. In festis secundariis Patroni, uti est translatio Reliquiarum etc., et in festis Patroni alicuius Capellae, Altaris, Sodalitii et Confraternitatis ¹, *Credo* non dicitur; exceptis pro nobis festis secundariis S. P. N. Francisci, in quibus semper dicitur.

544. In festo Tituli alicuius Ecclesiae, *Credo* dicitur in hac sola Ecclesia. Idem dicendum de festo alicuius Sancti, cuius Corpus, aut saltem Reliquia insignis in Ecclesia adservatur ², et de quo dicitur Officium.

545. Dicitur *Credo* in Missis votivis, quae solemniter pro re gravi, vel pro publica Ecclesiae causa celebrantur, etiamsi dicantur in paramentis violaceis in Dominica. Item in Missa solempni, sive festiva, sive votiva, quae cantatur ob extraordinarium concursum populi ad venerandum Sanctum, cui Altare in Ecclesia erectum est.

546. Non dicitur *Credo* in Missis Beatorum ³, in Missis Officii votivi, etiam sub ritu duplici, in Missis ferialibus, etiam infra aliquam Octavam, quae alias Symbolum habet, aut in Dominicis, v. g. in Missa Stationis S. Marci.

547. In festis principalibus Fundatorum religiosorum Ordinum et per eorum Octavas, dicitur *Credo* in omnibus Ecclesiis eiusdem Ordinis, et ab omnibus in ipsis Celebrantibus, quamvis ad eundem Ordinem non pertineant. Ipsi vero Religiosi hac die etiam in aliis Ecclesiis celebrantes, servatis tamen servandis, Symbolum dicere valent et possunt.

¹ S. Rit. C. 23 Sept. 1837.

² Rubr. gener. Missal., t. XI, de Symbolo.

³ S. Rit. C. 12 Iulii 1664, in una Romana.

548. In festis secundae classis Sanctorum Ordinis nostri, *Credo* dicere possumus ex speciali privilegio ¹, sed tantum in Ecclesiis nostris.

549. Praefationum genera tria distinguuntur: Praefationes de Tempore, quae in respectivis temporibus et diebus in ipso Missali indicatis dicuntur; Praefationes nonnullis festis propriae; et Praefatio communis, quae dicitur in festis et diebus, qui propriam non habent.

550. Praefatio de Nativitate dicitur usque ad Epiphaniam exclusive, praeterquam in die Octavae S. Ioannis Apostoli. Dicitur etiam in festo SS. Nominis Iesu, in festo Corporis Christi et per eius Octavam, nisi in ea occurrat festum cum propria Praefatione, in Transfiguratione Domini, in festo SS. Cordis Iesu ubi dicitur Missa *Egredimini* uti apud nos, in die Purificationis B. M. V., et in Missis votivis de SS. Sacramento.

551. Praefatio de Cruce dicitur a Dominica Passionis usque ad Feriam V in Coena Domini inclusive (nisi in festis tunc occurrentibus propria assignetur), et in Missis de Cruce et de Passione Domini etiam votivis et in festo SS. Cordis Iesu, ubi dicitur Missa *Miserebitur*.

552. De Pentecoste dicitur Praefatio a Vigilia usque ad Sabbatum sequentem inclusive, et in Missis votivis de Spiritu sancto, omissis tamen verbis *hodierna die*.

553. Praefatio de Trinitate dicitur in festo SS. Trinitatis, in omnibus Dominicis per annum, si iuxta Rubricas non indicetur propria, et in Missis votivis de SS. Trinitate.

¹ S. Rit. C. 23 Sept. 1852, in una Ord. nostri.

554. Reliquae Praefationes de Tempore dicuntur solummodo in respectivis temporibus, et festis in iis occurrentibus, nisi propriam habeant.

555. Praefatio de S. Maria dicitur in ipsius festis omnibus, excepta Purificatione (vide n. 550), et etiam in Missis votivis de S. Maria.

556. Praefatio Apostolorum dicitur in festis Apostolorum, praeterquam in die S. Ioannis Evangelistae 27 Dec. in quo dicitur illa de Nativitate, et in Missis votivis de Apost.

557. In die Octavae S. Ioannis dicitur Praefatio de Apostolis. Vide num. praec.

558. De S. P. Francisco Praefatio propria dicitur solummodo in ipsius festis et per totam Octavam, in Missis votivis eiusdem S. P. F. et in festo omnium Sanctorum Ord. die 29 Novembris.

559. Praefatio alicui festo propria dicitur etiam durante Octava, nisi festum propriam Praefationem habens occurrat.

560. In Praefatione paschali, in Missa Sabbati sancti, dicitur: *in hac potissimum nocte*; in die Paschae usque ad Sabbatum in Albis inclusive: *in hac potissimum die*; a Dominica vero in Albis et per totum tempus paschale: *in hoc potissimum*.

561. Festa Domini, quae propriam habent Orationem seu *Communicantes*, quae per totam respectivam Octavam sumitur, sunt Nativitas, Epiphania, Pascha, Ascensio et Pentecosten.

562. In festis Paschae et Pentecostes, proprium *Communicantes* dicitur etiam in eorum Vigiliis.

563. Festa Paschae et Pentecostes, necnon eorum Vigiliae propriam habent Orationem *Hanc igitur*.

564. In Missis de Requite non dicitur Oratio *Domine Iesu Christe, qui dixisti* etc., post *Agnus Dei*.

565. Dicitur *Benedicamus Domino* quoties Missa dicitur in colore violaceo, et quoties non dicitur *Gloria in excelsis*; in Missis autem Defunctorum dicitur *Requiescant in pace*.

566. Evangelium S. Ioannis dicitur ordinarie in fine Missae; excipiuntur ab hac regula Dominicae per annum, Ferae Quadragesimae et quatuor Temporum, Feria secunda Rogationum, et Vigiliae omnes, quando his diebus de ipsis non fit Officium. Legitur tamen Evangelium S. Ioannis in Dominica quarta Adventus, quando in ipsa incidit Vigilia Nativitatis; et quando Evangelium festi est idem cum Evangelio Ferae.

567. In concurrentia Ferae maioris, quae habeat Evangelium proprium cum aliqua Vigilia, legendum est Evangelium Ferae in fine Missae.

568. Si vero festum in aliqua Vigilia infra Adventum occurrerit, in fine Missae legitur Evangelium Vigiliae, quamvis in Officio non fuerit lecta Homilia pro nona Lectione, nisi festum sit I. classis, in quo casu Vigilia omittitur.

569. Evangelium Quatuor Temporum semper legitur, et in concurrentia Vigiliae et Quatuor Temporum Evangelium legitur de Quatuor Temporibus.